



1798.



1. Bonn

or ch

mer



2. Markt

95 et

rehi

Hu



3. Hagen

Brag

21



4. Lübeck

Respo

decem

annis

10. Lü



5. Tifl

et 91.



VNIVERSITATIS LITTERARVM LIPSIENSIS

2798,10.

H. T.

PROCANCELLARIUS

CHRISTIANVS DANIEL ERHARD

I. V. ET PHIL. DOCTOR INSTITVTT. P. P. ORD. SVPREMAE
IN SAXONIA CVRIAЕ SVMMI IN LVSAT. INFER. IVDICII
ET COLLEG. I. CTOR. LIPS. ADSESSOR
SACRI PALATII COMES

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

CLARISSIMI AC DOCTISSIMI CANDIDATI

PAVLLI CHRISTOPHORI GOTTL.
ANDREAE

LIPSIENSIS

PHIL. DOCT. AA. LL. MAG. IVR. VTR. BACCALAVR.

CALENDIS NOVEMBR. A. C¹CCCCCLXXXVIII

H. L. Q. CC

PVBLINE CELEBRANDA

INDICIT

Coniectaneorum ex iure vario

Specimen I.



CHRISTIANAE DANNÆ HISTORIA

II.

PLACENTIA FESTA

CHRISTIANÆ DANNÆ HISTORIA

LUTHERI DOCTORIS ET DISCIPULÆ
IN SECOLO CATORUM SVMIUS
HOMINUM VOTO VOTAT

BOHEMIA IN MOLALA

CHRISTIANÆ DANNÆ HISTORIA

PATRIÆ CHRISTIANÆ GOTT

ALIA

ANNO 1525

CHRISTIANÆ DANNÆ HISTORIA

ALIA



moliri cibum ex opere corporis animalium quod ex cibis
debet aut eamque ordinata servari sicut in rebus aliis cibis in
item cibis libro de ratione animalium tractatur etiam in rebus aliis
regulis rationibus, sed etiam in rebus aliis que sunt in
cibus animalibus cibis animalium et cibis non animalibus
cibus animalibus rationibus et cibis non animalibus rationibus.

CONIECTANEORVM

EX IVRE VARIO

SPECIMEN I.

*Quae de varia furti poena C. C. C. sancta leguntur,
horum plura in foris Saxoniae immerito negligi
videntur.*

In delictorum, quibus non vi et impetu, sed astu et clandestinis moli-
minibus ciuium bona laeduntur, magnitudine diiudicanda, potissimum
vero in furti simplicis poena statuenda nos non nisi ad certam quam-
dam amussim pretii rerum ablatarum, posthabitatis et neglectis omnibus
fere momentis ad poenam, modo minuendam, modo augendam idoneis,

judicare et longe facillima minimeque ardua et molesta ratione, neglecto tamen iusto sapientique iudicis arbitrio, quae summa et anxia cura fuissent persequenda et indaganda, ea omnia calculo aestimatoris, aut laesi, ex vsu fori nostri esse relinquenda, hoc ego, quoties me in sententiis de poenis furtorum simplicium ferendis angustis illis cancellis vidi circumscriptum et normae consuetudinische compedibus impeditum et vinetum, tanto tuli aegrius, quanto saepius accidit, ut pluribus furti reis eamdem plane poenam decernere coactus essem, quorum tamen delicta propter summe diuersam magnitudinem diuersissimas poenas exigere, sine ullo negotio cognoscerem.

Quod quoties animo perpendi, simul vero, quae iure Carolo de varia furti poena statuta leguntur, considerauit, toties dolendum esse censui, nonnullas C. C. C. sanctiones sapientissimas in patria nostra plane posthaberi et negligi. Quod quidem non eo consilio a me profertur, quo multa illa, quibus pro temporum illorum ratione lex ista carere non poterat, vitia defendenda mihi sumam. Quis enim non videret, in ipso isto loco, quo de furti crimine agitur, improbandam esse cum CARPOVIO *), KRÉSSIO et BOEHMERO ad h. l. vanam illam et genuino fundamento destitutam inter furtum manifestum et non manifestum distinctionem, cuius Art. CLVII. et CLVIII. propter nimiam auctoritatem iuri Romano tributam habetur

*.) Quæst. LXXVIII. N. VIII.

ratio? Quis est, quin intelligat, poenam capitalem Art. CLX. et CLXII. statutam nimis esse severam, notionem vero furti periculosi eiusque poenam Art. CLIX. non satis adequare esse definitam, multaque alia curatius atque subtilius in hoc loco exponendo potuisse, ac vero etiam debuisse distingui ac statui?

Vt vero haec verissima sint atque explorata, non minus tamen nonnullas huius Codicis de furto sanctiones propter plures easque grauissimas caussas imitatione haud indigna esse videntur. Quodsi enim de magnitudine delicti et modo poenae statuendo in crimine furti simplicis recte iudicare velimus, sane nobis tria furum genera sunt necessario distinguenda, alterum eorum, qui leuitate commoti vna alteraque occasione data aliquid ex dominio aliorum clami sibi arrogant; eorum alterum qui animo deliberato ad furta committenda sese adcingunt et furatum exeunt; tertium denique eorum, qui pertinacem furandi animum produnt et illi delicto, tamquam certo vitae generi sese addicunt, eoque victimum sibi quaerere student.

Iam quis est, qui, etiamsi subtilius de criminum magnitudine modoque poenarum cogitare haud didicerit, tamen non videat, haec tria furum genera, siue ad periculum singulis ciuibus et reipublicae imminens respexeris, siue rationem spei emendationis, quae tamen in eiusmodi delictis puniendis non est negligenda, siue denique ipsum doli ambitum et gradum spectaueris, maxime interesse differre?

At enim uero iure Saxonico haec tria genera in poena statuenda plane non distinguntur, ac, si ab illa consuetudine perniciosissimos fures in ergastulo adseruandi, et a more, quosdam perditissimos homines in numeris publice exponendi, recesseris, omnium istorum poena, dummodo armis sese non instruxerint, aequalis est, nec, nisi secundum rei ablatae pretium, nulla, praeter restitutionem, mitigandi causa admissa, vni non minus, quam alteri, irrogatur, ita, ut et ipsi illi facinorosi, qui per effractionem et adscensionem furta perpetrarunt, non grauiori poena adficiantur, quam alii, qui in hoc delicti genere multum excusati peccarunt.

Adscendit Caius noctu in aedes vicini, ianuam vi effregit, summam pecuniae abstulit; idemque per plures menses non nisi per varia furta victum cultumque sibi quaesiuit: Maeuius, quem sciret amicum nummos accepisse, clam sese irrepsit in huius aedes et aliquam eius pecuniae partem abstulit; Sempronius denique, vir adsiduus, bonus paterfamilias, homo alioquin honestus, sed leuior et pauper, quem sine omni furandi animo in diuitis alicuius cameram intrasset, multosque saccos auro argenteoue repletos ibi inuenisset, occasione et spe impunitatis meliorisque fortunae seductus, cupiditate abreptus, cogitans forsitan, diuitem pecuniae dominum per iacturam modicae summae non fore infelicem, ad auferendam pecuniam manus extendit: quem fortasse ipso momento temporis, quo delictum perpetrauit, facti

poenituit, sed falsus tantum pudor et timor poenae a restituendo deterruit.

Quod vero ad pretium rerum furtuarum attinet, Caius in omnibus furtis commissis sensim paullatimque non nisi summam quadraginta imperialium; Maeuius septem; centum vero Sempronius abstulerat. Quorum primum grauissime, alterum grauiter quidem, sed minus periculose, tertium ceteris excusati deliquisse, sine ullo negotio quisque intelliget iis, quae de magnitudine delictorum et poenarum modo recta ratione legumque analogia docemur, vel mediocriter imbutus.

Iam miraberis sane, vbi ex tabulis publicis me demonstrare posse adseuerauero, Caium, restituerat enim pretium rerum ablaturum, in quatuor; Meuium, qui restituere non valebat, haud minus in quatuor; Sempronium autem, quoniam ne dimidiam quidem pecuniam domino reddere potuerat, in decem annos ergastulo fuisse inclusum!

Quam quidem iustae poenarum quantitatis neglectae notam effugere et modo a nimia et perniciosa lenitate, modo ab immani duritie nos melius cauere potuissemus, si eorum, quae constitutione Carolina de hoc delicto sunt sancita, ad quae legibus patriis silentibus recurrere nulla lege prohibemur, rationem magis habuissemus.

Sic sane dolendum est, in Saxonia ob adscensionem et effractionem poenam furti non augeri, quum tamen causa fini poenarum

et naturae delicti accommodatissima Art. CLIX. adlata legitur, quod scilicet animus deliberatus, praeparatio ad delictum, (*geflossener*) et periculum ab hominibus tale quid audentibus metuendum *) (*gefährlicher Diebstahl*) poenam duriorem reddat necessariam, in qua definienda pretii rerum ablatarum nulla habenda sit ratio. Consultius igitur foret, si nos quoque in ea re ius commune in eo saltem sequeremur, ut a furtis simplicibus ea, quae adscendendo aut effringendo committuntur, distingueremus, hac tamen adhibita cautione, ut ab ultimo suppicio **) statuendo abstineremus, et in poena decernenda, vti recte suasit GE. IAC. MEISTERVS in Principiis iuris crim. P. II. L. I. Cap. XII. §. 215. III. ad periculi ambitum et facinoris rationem respiceremus, ita, ut iustum iudicis arbitrium in ea re definienda locum sibi vindicaret. Sic demum sperandum foret, nimii rigoris periculo remoto, iustum poenarum quantitatem in eiusmodi facinoribus coercendis iri obseruatum.

Nec minus imitatione digna videntur, quae de furto primo, secundo et tertio in Artt. CLVII. CLVIII. CLX. et CLXII. constituta inueniuntur.

*) So ist der *Diebstahl*, dazu, als obsteht, gebrochen, oder gestiegen wird, ein geflossener gefährlicher *Diebszahl*. C. C. C. Art. CLIX.

**) Quod hodierna quoque iuris communis consuetudo, testibus KRESSO ad h. I. et QVISTORPIO *Grunds. des peinl. Rechrs* I. Th. §. 352. in sola adscensione non admittit.

Sunt vero plura, quae in istis constitutionibus summam laudem merentur, in quem censum venit ante omnia illa furis consummatio notio, quam Art. CLXII. his verbis exhibit: *das ist eyn mehrer verleumbter Dieb*, seu, vt Remus in Paraphrasi C. C. C. vertit: *is pro famoso fure, qui furandi habitum acquisuerit, habebitur.* Eiusmodi furem autem non, vt lege laudata factum, ultimo supplicio, grauius tamen, ac alium, puniri; ob maius reipublicae periculum, ob minorem emendationis spem, et ob plane deficientem leuitatis et ignorantiae excusationem non potest in dubium vocari.

Deinde, si a vana illa inter furtum manifestum et non manifestum distinctione discesseris, (quam plane exulare docet BÖHMERVS ad h. a. p. 742.) illud quoque laudandum, quod furtum paruum primum non statim poena corporis ex art. CLVII. punitur, sed secundum consuetudinem iuris communis ea fulta ad arbitrium iudicis, modo mulcta, modo carcere, nec nisi propter singulares caussas ergastulo coercentur *).

Licet autem cum nostro iure in eo conspiret nemesis Carolina, vt iis, qui furtum magnum commiserunt, ultimum supplicium minetur, tamen in hoc quoque istis, qui leuitate magis inducti, quam animo deliberato, ad furandum adcesserunt, succurrat Imperator, et latissimum campum iudicis arbitrio aperit eo, quod hunc disertis verbis iubet, vt ad plura momenta in poena decernenda respiciat,

*) KRESS ad artt. CLVII. et CLVIII. BOEHMER ad eosdem. MEISTER in principiis iur. crim. Germ. P. II. Lib. II. Cap. XII. §. 275. CARL GROLMANN Grundsätze der Criminalrechtswissenschaft, 2. B. I. Th. 2. Abth. §. 305.

quae occasionem mitius respondendi ipsi possint suppeditare. Ita potissimum rationem habere debet conditionis et personae eius, qui furtum commisit; (*des Standes vnd des Wesens der Person, so gestohlen hat*), quod non de conditione ciuili et de natalibus, sed de ratione et morum et vitae anteactae diuersa intelligendum esse, vberrime docuit BOEHMERVS ad h. l. Haec vero ex consuetudine Saxonica, vt vidi mus, nostro quidem qualicumque indicio perperam negliguntur, omniaque ex pretio rei furto ablatae, nulla nisi propter restitutionem admissa mitigandi caussa, dijudicantur.

Negari tamen nequit, omnia ea, quae nos e iure Carolino recensuimus, sapientissima et naturae delicti finique et modo poenarum esse admodumata, dignaque, quae per legem Criminalem, quam a Sapientissimo et Iustissimo Principe nostro expectamus, remotis tamen pluribus illis barbariae vestigiis, quorum modo mentionem fecimus, in vsum fori nostri reuocentur.

Neque vllus fere inter sapientissimos nouorum codicium criminalium conditores, ea, quae Carolus V. imperator de hoc delicto sanciuit, et quae a nobis iam laudata fuerunt, plane neglexit. Sic Leopoldus Imp. in Codice Criminali Hetruriae §. LXXI. furta cum ascensione et effractione commissa furtis grauius puniendis adconsere non dubitauit. Sic Codex recentissimus Borussiae cum iure Carolino in eo conspirat; I) quod legislator furtum parum simplex, leuiter tantum, hoc est, breui carcere, coercendum statuit*) II) quoniam in furti magni poena definienda

*) Allgemeines Preussisches Landrecht. P. II. Tit. XX. §. 1121—1124.

Ita
eius,
o ge-
ne et
ocuit
vidi-
om-
onem

olino
pena-
nalem
motis
fecili-

alium
quae
n Co-
tione
Codex
quod
car-
ienda

non solum ad pretium, verum etiam ad gradum doli legislator re-
spexit et modum coercionis decernendum iudicis arbitrio reliquit,
qui tamen in furto primo poenam quatuor septimanarum carcere mi-
norem et inclusione in ergastulum ad biennium maiorem decernere
prohibetur *); III) quoniam effractionem et adscensionem ad caussas
poenam furti grauantibus retulit (ib. §. 1163.); IV) quia poenam
furti secundi et tertii expresse distinxit, addita poena perpetui erga-
stuli, quo furtum quartum coerceri praecepit. Sic in Codice quoque
Heribopolitano, cuius specimen, (in quo elaborando potissimum immor-
talem QVISTORPIV M**) est sequutus), iussu Principis exhibuit *ILL.*
PFLAVMIUS †), furtum parum primum, non nisi leuissima poena
coerceri, secundum vero et tertium grauius puniri, iussum; magni
autem pro re nata admodum variae poenae statutae et arbitrio iu-
dicis plura permissa leguntur.

Quod vero I. Cti nostri ea iuris Carolini praecepta, quae alii potis-
simum sequenda esse duxerunt, deseruerint, huius rei non vna caussa
adferri potest. Licet enim in ipsa Constitutione XXXII. P. IV. Diuus
Augustus Elector in poena furti statuenda effractionis singularem men-
tionem fecerit, et ob hanc, remissis I. Ctis ad Legem Carolinam,
disertis verbis poenam mortis furibus minatus fuerit, tamen CARPO-

*) Ibid. §. 1125.

**) IO. CHR. QVISTORP *aufzürlicher Entwurf zu einem neuen Gesetzbuche
in peinlichen und Strafsachen.* Leipzig 1782.

†) PFLAVM *Entwurf einer neuen peinlichen Gesetzgebung.* (Franç. und Leip-
zig 1793.) I. Tb. 18. Abschn. §. 144.

VIVS *) ob concensionem et effractionem solam poenam capitalem locum habere negauit, sed ad ultimum supplicium decernendum requiri contendit, ut praeterea quoque fur armis instructus ad furtum committendum adcesserit; quam oraculi istius Saxoniae totiusque Germaniae opinionem, tamquam legem sibi scriptam, sequuti sunt plerique I. Cti, imprimis Saxones **). Quum autem recentiori tempore, CARPOVII, tria illa, quae Imperator singula furtum qualificatum efficere scribit, non nisi coniuncta ad poenam capitalem requiri, adserentis, opinionem, et verbis, et sententiae legislatoris esse contraria, viderent nostri Doctores, inhumanum tamen fore animaduerterent, interpretatione, quantumuis rectiori, duriorem sententiam defendere et ultima supplicia illo tempore satis frequentia augere: sola quidem arma violentiae adhibenda caussa a fure adlata ad notionem furti periculosi sufficere statuerunt; sed, ne propter solam effractionem aut adscensionem mortis poenam decernere cogarentur, et hanc et illam, ut crudelitatis notam effugerent, nimipotius lenitate peccandum esse rati, in furti poena decernenda plane neglexerunt, licet lex Saxonica laudata, Carolinae constitutionis auctoritas et iuris Romani praecepta ***) hoc furtorum grauiorum genus saltem ab aliis minus periculosis distinguere suaderent. At I. Ctos nostros eo consilio illam sententiam esse amplexos, ne propter furtta sola effractione aut concensione perpetrata capitis

*) CARPOVII Pract. rer. crim. §. II. Qu. 79. n. 5. f.

**) WERNHER P. III. Obs. 206. BREYER in *Delineat. iur. crim.* P. III. Obs. 206. BERGER in *Elect. crim.* p. 35. et in *supplementis* p. 64. ENGAV in *Elementis iur. crim.* L. I. T. VII. §. 113. et alii.

***) Tit. Dig. de effractoribus l. 3. §. I. D. de officio praef. vigil.

supplicium statuere cogerentur, disertis verbis fatetur **FERDINANDVS AVGUSTVS HOMMELIVS** in dissertatione de furto qualificato *), qui, quum bene sentiret, solidis fundamentis haud niti ea, quae pro illa consuetudine recentiori Saxonica solerent adferri, his verbis vsus est: *rectius igitur haec poena in se sat acerba in dubio ad furtum, quod cum armis fit, restrainingitur, quam ad furtum cum quauis effractione et concessione coniunctum extenditur, cum facilius sit, Deo rationem reddere**) ob nimiam misericordiam, quam ob immodicam seueritatem; iam vero nimis foret durum, ob quamlibet concessionem et effractionem poenam statuere mortis.* Quid clarius esse potest, quam summe laudabile humanitatis studium huius consuetudinis auctores ad eam defendendam et conseruandam impulsse? In eo vero potissimum iidem peccarunt, quod hoc furti genus vltimo suppicio vlcisci nolentes, istud statim furtis simplicibus adnumerarunt, et magis verbis inherentes, quam re ipsa considerata, de furti simplicis in illis speciebus propter audaciam et maiorem furis reatum poena augenda nullo modo fuerunt solliciti; qua in re illi, qui iuris communis consuetudinem constituerunt, licet non minus humani, (propter poenam capitis per iustum Art. CLVII. interpretationem valde restrictam), tamen, vt iam docuimus, multo iustiores et subtiliores arbitros sese exhibuerunt ***).

*) FERD. AVG. HOMMEL de furto qualificato Lips. c1500CLIX. §. XII.
P. XV.

**) Praestantissime de isto studio iudicium mitigandi leges barbaras loquitur Illustrissimus Comes DE SODEN in opere: *Geist der peinl. Gesetzgebung Deutschlands I. Bd. §. 329.*

***) STRYBEN rechr. *Bedenken II. Th. n. 107. §. 1. 2.* KRESS ad Art. CLIX. QVISTORP I. Th. §. 1352. p. 528. Edit. recentissimae. Mea quidem sententia nemo veram C. C. C. mentem accommodatus exposuit ERNESTO FER-

Iam restat, ut videamus, qui factum fuerit, ut Saxones recentiori potissimum tempore, nulla omnium eorum, quae ius commune satis apte distinguit, habita ratione, non nisi ad amissim pretii rerum ablatarum et factae restitutionis, furtorum poenam, mox nimio rigore, mox incongrua lenitate decernere soleant. Quaerenda autem est huius rei caussa in abrogata poena capitis furti simplicis magni, qua sublata haud pauci omnia, quae et humanitas suadet, et iustus poenarum modus exigit, iam satis superque obseruata esse rati, normae illi, qua poenae quantitas secundum rei furtiuas pretium definitur, ita sese adstrictos putarunt, ut omnium, quae, praeter eam, et rei natura, et ius commune docent, consideratione sibi esse interdictum opinarentur. Quae opinio eo adhuc tempore inualuit, quo veteres auiae ex iis, quae sapientissime a Principe nostro de rigore legum minuendo ab anno inde c^lixccxx. sunt constituta, nescio quae pericula extimescerent.

Praefari haec placuit, quum indicendi essent honores

VIRO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

PAVLLO CHRISTOPHORO GOTTLLOB ANDRAEAE

LIPSIENSIS

PHIL. DOCT. LL. AA. MAG. IVR. VTR. BACC.

tribuendi, quem de vita laudabiliter adhuc acta ipsum iam audiamus
dissenremus:

Natus sum Lipsiae a. d. XXX. Decembbris anno huius saeculi septuagesimo secundo, patre PAVLLO GOTTLLOB Scholae Thomanae ma-

DINANDO KLEINIO Viro Perillustri, quem honoris caussa nomino, in libro prae-
stantissimo: *Grundsätze des gemeinen Deutschen und Preussischen peinl. Rechts* §. 442.

gistro, quem abhinc octo annos praematura mors mihi eripuit, matre
 RAHELE CLARA SOSPRIA TOPPIA, quae ut vita quam longissima fru-
 tur nihil est, quod magis optem. Iam a pueri in Scholam Thomanam
 receptus praeceptores nactus sum optime de me meritos FISCHERVM,
 THIEMIVM, DOLESIVM, HOFMANNVM, KRIGE-
 LIVM, TOPFIVM auunculum, cuius paternum in me fauorem
 gratissimo usque animo recordabor. Anno LXXXXI Rectore BECKIO
 stadium academicum ingressus sum, iam XVIII annis ante a BORZIO,
 tum Rectore, in numerum ciuium academicorum relatus. Philosophiam
 PLATNERVS, SETDLITIVS et HETDENREI-
 CHIVS, humanitatis literas ECKIVS, BECKIVS et BOR-
 NIVS, Iurisprudentiae varias partes, BAVERVIS Vir Summe Re-
 verendus, fautor pie colendus, SCHOTTVS, BIENERVS, ER-
 HARDVS, HAVBOLDVS, EINERTVS et SAMME-
 TVS, Mathesin ZWANZIGERVIS, historiam HILSCHE-
 RVS, Antiquitates Germanicas ROESSIGIVS, Anatomiam HAA-
 SIVS, Medicinam forensem HEBENSTREITIVS me docuerunt,
 viri omnes ac singuli nullius laudis indigentes. Disputatione super variis
 iuris capituloibus praeside KNÖTSHKERO publice habita a. LXXXIV.
 examen subii, quo superato Illustris Iurisconsultorum Ordo, prima iuris
 laurea me ornauit. Anno sequente editis pro more speciminibus iisque ad-
 probatis aditum ad forum mihi paravi. Anno LXXXVII Amplissi-
 mus Ordo ritu antiquo mihi contulit summos in Philosophia honores. Iam
 hoc anno examini rigoroso me subieci, et nuper illius Amplissimi Ordinis
 auctoritate publice defendi libellum meum, cui titulus: Quaedam de con-
 iunctione inter parentes et liberos ad normam praeceptorum iuris na-
 turalis definienda. Quemadmodum autem mea studia academica stipendio
 Electorali et alio a Senatu Lipsiensi Amplissimo mihi benignissime collato

tiori
 satis
 rerum
 gore,
 cuius
 blata
 nodus
 penae
 dictos
 com-
 Quae
 que
 anno
 rent.

LAE

amus

sep-
ma-

praec-

442*



subleuata esse, gratus recordor, ita non possum non Perillustri G A E R T NERO Cancellario vicario, Illustri HERMANNO Consuli et Excellentissimo SCHACHERO Aedili laudes et gratias habere maximas easque iustissimas pro singulari benivolentia, quam mihi semper praestiterunt.

Qui quum in vtroque examine doctrinae solidioris et ingenii
haud vulgaris documenta nobis exhibuerit, nunc vero, ut summos in
iure honore ipsi vellemus impetriri, a nobis modeste petierit: Viri
Clarissimi ac nobis Carissimi precibus adnuere haud dubitauimus.

Nostri igitur Collegii auctoritate a. d. XXIX. Oct. h. I. pomerid.
loco consueto *l. v. C. de suffragio interpretabatur*, Calendis vero Novembris dissertationem *de legato optionis* sine Praeside publice defendet, quo peracto Vir summe Reuerendus, Illustris et Consultissimus D. CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENERVS Ecclesiae Numburgensis Capitularis, Supremae Curiae Adssessor et Pandectarum Professor P. O. in quem ego hanc potestatem Cancellarii nomine contuli, summos in vtroque iure honores, sola spe in Collegio ICtorum inter Doctores, qui nostri adpellantur, quondam adsidendi excepta, Doctissimo Candidato more maiorum tribuet.

Cui sollemnitati quo plus splendoris adcedat ac celebritatis, ut
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI,
VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMI, COMMITITONES
DILECTISSIMI eam praesentia sua velint ornare, decenter rogamus.

P. P. in Litt. Vniu. Lips. Dom. post festum Trinitatis XXI.
A. cIccxcviii.



VD18

56.



VNIVERSITATIS LITTERARVM LIPSIENSIS

1798,10.

H. T.

PROCANCELLARIUS
CHRISTIANVS DANIEL ERHARD

I. V. ET PHIL. DOCTOR INSTITVTT. P. P. ORD. SVPREMAE
IN SAXONIA CVRIA SVMMI IN LVSAT. INFER. IVDICII
ET COLLEG. I. CTOR. LIPS. ADSESSOR
SACRI PALATII COMES

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

CLARISSIMI AC DOCTISSIMI CANDIDATI

RI GOTTL.
E

BACCALAVR.

C L X X X X V I I

A

re vario

